



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Canones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

De pluriū  
episcoporum  
damnatione.

Horum igitur causa tali modo terminata, commonuit domnus papa archiepiscopos qui erant in praesentia, vt si quem suffraganeorum suorum simoniaca pestis esse reum scirent, coram omnibus notificare non renuerent. Quibus id omnino se scire denegantibus, habitus est sermo de episcopis qui inuitati ad eandem Synodum venire noluerant, nec aliquod inde suae excusationis scriptum transmiserant illo. Vnde, competentibus ad hanc patrum recitatis sententiis, poena damnati sunt excommunicationis, cum omnibus illis qui ipsius papae formidantes aduentum hac de re profecti erant in expeditionem regis: nominatim vero Senonensis archiepiscopus, Bellouacensis, & Ambianensis episcopus, sed & abbas sancti Medardi, quia absque licentia recesserat a conuentu Concilii. Excommunicatus est etiam sancti Iacobi archiepiscopus Gallienensis, quia contra fas sibi vendicaret culmen apostolici nominis.

ANNO  
CHRISTI  
1049.

Post haec, petentibus eis qui sanctae religionis amatores ibi aderant, plurima sanctorum patrum decreta, quae iam per incuriam pro nihilo habebantur, praeccepto suae auctoritatis renouauit, & multa quae in Gallicana ecclesia exercebantur illicita, ne fierent vltius, sub anathemate prohibuit, videlicet:

## CANONES.

I.

Ne quis sine electione cleri & populi ad regimen ecclesiasticum proueretur.

II.

Ne quis sacros ordines, aut ministeria ecclesiastica, vel altaria, emeret aut venderet. Et si quis clericorum quidlibet eorum emisset, id cum digna satisfactione suo episcopo redderet.

III.

Ne quis laicorum ecclesiasticum ministerium vel altaria teneret, nec \* episcoporum quibus consentirent.

ANNO  
CHRISTI  
1049.

IV.

Ne quis in atriis ecclesiarum, præter episcopum & eius ministrum, quaslibet consuetudines exigere præsumeret.

V.

Ne quis pro sepultura, vel baptismo, siue pro eucharistia, aut infirmorum visitatione, quidquam exigeret.

VI.

Ne quis clericorum arma militaria gestaret, aut mundanæ militiæ deseruiret.

VII.

Ne quis clericus vel laicus vsuras exerceret.

VIII.

Ne quis monachus, vel clericus, a suo gradu apostataret.

IX.

Ne quisquam aliquibus sacri ordinis iter agentibus violentiam vllam inferre auderet.

X.

Ne quis pauperes homines rapinis vel captiombus vexaret.

XI.

Ne quis incestuosæ coniunctioni se copularet.

XII.

Ne quis legitima vxore derelicta aliam duceret.

Et quia noui hæretici in Gallicanis partibus emerferant, eos excommunicauit, illis additis qui ab eis aliquod munus vel seruitium acciperent, aut quodlibet defensionis patrocinium illis impenderent.

Zzz iij